

El latín perenne

TRES POESIAS LATINAS DE MIGUEL ANTONIO CARO *

I

OPTIMO VIRO IGNATIO GUTIERREZ VERGARA

A me cum peteres versus, jucunde poëta,
 Suavi missurus nempe Lamartinio;
 Quos feci, fidibus tentans aptare latinis
 Sacros quos vates finxerat ille modos,
 Cudere lima ipsos iterum calamoque parabam;
 Jam Sol Occiduis praecipitarat aquis.
 At postquam calamo posito, defessa labore
 Membra dedi somno, decubuique toro,
 Ecce mihi in somnis Hugi fera venit imago
 Ardentesque oculos voraque saeva gerens,
 Hirsutumque supercilium, barbamque cadentem
 Incultam in pectus, sanguineasque manus.
 Mirabar, memini, in me cur saeviret, amator
 Qui solitus fueram carminis esse sui,
 Et quamquam saevus tum me circumstetit horror,
 Nec poteram ingenti non trepidare metu;
 Quid potui, dicebam in te committere tantum
 Qui spires flammam acribus ex oculis?
 Immo et te vatem laudavi, et semper amavi,
 Dulceque mi carmen, magne poëta, tuum est.

* Las tres composiciones que publicamos fueron halladas en 1940 por el R. P. Félix Restrepo S. J. entre los papeles de R. J. Cuervo existentes en la Biblioteca Nacional de Bogotá, en el curso de la investigación realizada para preparar el volumen de *Obras inéditas* del mismo. Copia de ellas envió al R. P. Alfonso M. Navia C. M., para su revista *Latina Fides*, en cuyo primer número apareció la siguiente nota: "Iam prelo materia subacta, a clmo. P. Felice Restrepo carmina forsán prima accepimus a Michaele A. Caro anno 1862 composita atque inter manu scripta egregii Rufini I. Cuervo inventa. Grates referimus quam maximas dilectissimo Universitatis Xaverianae Decano pro splendido munere, quo speramus, in proximo fasciculo, nos haud exigua sociis omnibus gaudia daturus. A. M. N.". Infortunadamente la publicación no tuvo efecto, por haberse suspendido la revista.

Esta composiciones, entre las más antiguas de Caro, no figuran en la colección de sus *Carmina*, publicada con ocasión del primer centenario de su nacimiento (Bogotá, 1943). N. de la R.

Ergo quid demum tibi debes? Me tamen ille
 Visus Apollinea est increpuisse lyra,
 Ac ferus has tandem maestus depromere voces
 (Vultus et ipsa manus multa minantis erat):
 "Hausistine malus Lethei fluminis undam?
 Aut nostri officii non meminisse potes?
 Perfide, te docuere mea carmina primum
 Dulci in Apollinea ludere monte lyra;
 At nunc oblitus, latio nunc, perfide, suavi
 Ipse Lamartinio das bonus ore loqui.
 Quod mea si salvum celebrantia carmina Mosen
 Aptasses italis, Care poëta, sonis,
 Tunc equidem extento magis aevo vivere possem
 Nam legerer comptus versibus ausoniis
 Quacumque Andini cantantur carmina vatis;
 Et tibi tunc aliquis, tunc quoque staret honos".
 Vix ea fatus erat, tenebris se immiscuit atris,
 Fecitque ut somno territus excuterer,
 Quare admirari noli Hugi cur tibi mittam
 Deducta ad latios gallica verba modos¹.
 Nam vellem ut ille mihi parcat, ponatque furorem,
 Quod venturum equidem, dulcis amice, puto,
 Si nunquam haec Hugi quae carmina mitto negaris
 In lucem his junctis edere versiculis,
 Et simili vatium dignaris carmina honore
 Amborum, Europen per freta itura maris.
 Quo facto, Oceano cum absconderet praecipites Sol
 Cursus, et somno corpora jam dederim,
 In somnis veniet placatus forsitan Hugus
 Ipse virente meam cingere fronde comam.

Jan. MDCCCLXII.

II

EST GALLI CANTUS SUAVIS IN NOCTIBUS (S. Amb.)

Guttare cum gelidas arguto jactat ad auras
 Cantus, et rumpit nocturna silentia gallus,
 Cui non pertinent tunc dulcia gaudia pectus?
 Ille est ante omnes cantus suavissimus unus,

¹ Alude sin duda a una traducción al latín del *Moisés salvado de las aguas* de Victor Hugo, enviada con la traducción de Lamartine a Gutiérrez Vergara, para su publicación. Ignoramos si éste cumplió los deseos de su joven amigo. N. de la R.

Aures quo mulcente, venit mortalibus aegris
 Spes, quo somnus abit, redeunt quo lumina vitae,
 Postremis homines noctis fugientibus umbris.
 Quicumque accinctus ferro, sub nocte silente,
 Ad praedam surgit, cum lucis nuntius ales
 Dat ventis vocem, rapida fugit ocior aura.
 Tunc vero peregrinus homo qui Numina poscit
 Nocte novum Solem, tutam magis incipit ire,
 Laeto corde, viam; nam cogit abesse timorem
 Gratus avis cantus. Gratus quoque in aequore magno
 Est nautae, Lunam si nubes condidit atra,
 Sideraque haud fulgent, et totus inhorruit aër.
 En! Matutinus surgit tum Lucifer, albo
 Clarus equo, et magno sequitur Sol aureus igne
 Vitale immensum sparsurus lumen in Orbem.

Nec minus est gratum melos illud, sponte sequenti
 Jussa Dei et sanctae semper pietatis amanti.
 Exit lecto, et solus per amoena vireta
 Seu sacro in templo laudes in Numina fundit.
 Tunc etiam miserum cuius torrentur anghela
 Febre artus, languent cui membra, et semper in ore
 Dira sitis dedit, et lento caput aestuat igne
 Audito gallo, laedet minus anxius ardor
 Insomnem tandem noctem procul ire dentem.
 Quid memorem tali quae captet gaudia cantu
 Magna sonaturus concepta in mente poeta?
 Ipse Petrus dedit immensum cui pandere Caelum
 Christus, quique suos princeps erat inter alumnos,
 Commissum novit, flevitque, nefasque piavit,
 Auroram volucris cum pervigil illa vocaret;
 Vicinumque diem quoties cantabat adesse,
 Ille iterum cogebatur lacrymare gemendo,
 Et veniam culpae iterumque iterumque precari.

Ergo hominum cordi quid possit dulcius esse
 Carmine quod galli fundunt? At dulcior imo
 Vox alia auditur cordi, quae nemini ad aures
 Fertur, namque manet subter praecordia muta.
 Ac veluti tantum per tuta silentia mane
 Ille ales cantat; voci sic, mente sub alta
 Quae sua cuique sedet factorum conscia vitae,
 Fas est audiri per tuta silentia mentis,
 Pectora mundano numquam turbante tumultu.
 Quam si percipimus, multo pejora fugantur

Somnia, culparum nempe agmina nigra tenentùm
 Nos requiete mala mersos et imagine lusus.
 Et tenebrae fugiunt quoque, nos persaepe tegentes,
 Suadentesque animis aeternae obliviae lucis.
 Qualis fur, veniente die, se proripit, atque
 Silvae, unde exierat, refugit festinus ad umbras;
 Tartareum refugit (nobis simul alba refulsit
 Stella Dei) Daemon in formidabile regnum.
 Inde etenim excedit, si non vigilamus in armis
 Nocte sub obscura, manibus rapturus iniquis
 Undique divinamque fidem sanctumque pudorem.

Illa tamen grata est etiam vox, vulnera passis
 Sub mente, et longo trajectis alta dolore
 Corda, viris; quibus in terris est languida vita;
 Languida sic, ut ament quondam (miserabile lethum!)
 Annos ante suos atrae se dedere Morti.
 Hi tamen accipiunt semper sub pectore vocem
 Ne quid desperent dulci clamore monentem:
 Cui quoties cedunt, sibi tum spes magna videndi
 Caelestem Patriam, et qui condidit omnia, Patrem.

Vita mare est: maris in vasto nos aequore nautae,
 Heu! miseri Adami miseri quicumque nepotes:
 Tranquillum petimus, quo detur sistere, portum;
 Sed petimus tanti per summa pericula Ponti.

Horridum iter vita est. Peregrini vadimus ipsi:
 Floribus aeternis late spirantia prata
 Quaerimus; at nobis ostentant omnia mortem
 Per longas fessis valles, perque horrida saxa.

Sed, quamvis multis vita est objecta periculis,
 Vox illa est semper nostri solatia luctus;
 Nam modo Virtuti addidit inexpugnabile robur,
 Et Vitium modo proborum de pectore pellit.
 Convenit ipsi igitur semper parere docenti
 Multa bona, et vires danti ut possimus ab antris
 Ire Erebi procul, et tenebras vitare profundas.
 Roborat haud dubia spe mentes, ipsa, viamque
 monstrat ad aeterni ducentem culmina Caeli.

III

HYMNUS

(*L'enfant à son réveil*, par Lamartine)

Omnipotens Pater, ipse meus quem semper adorat,
 Invocat et mater demisso cernua vultu;
 O cuius dulce et late mirabile nomen
 Edit nullus homo, curvo nisi poplite pronus!
 5 Dicitur ille, decus Caeli, Sol aureus, almae
 Esse tuae ludus dextrae, et fulgeré per altum
 Ante pedes tenui tibi tanquam lumine lampas.
 Te dicunt avibus nemora inter frondea semen
 Quo se multiplicent, dare, te dare corda loquuntur
 10 Atque animam pueris qua te cognoscere possint,
 Te dicunt, Pater, esse omnes qui gramine campos,
 Irriguos decorat variis qui floribus hortos:
 Quod si sic velles, tum prata virentia nulla
 Starent, nec nobis essent tunc mitia poma,
 15 Non per odoratas tum silvas aura sonaret.

Omnia per totum tua dona animantia mundum
 Accipiunt, hominumque genus pecudumque, cohorsque
 Alituum, et pisces vasto sub gurgite nantes.
 Fragranti timidus serpyllo pascitur agnus,
 20 Dum capra florenti cytiso, dum pocula nostra
 Musca petit volitans, nivea quae lacte gravantur;
 Et sedet, et gaudet turgentem lambere guttam.

Praepes alanda volans auratas quaerit aristas
 Quas manibus Zephyrus rapuit messoris avari.
 25 Et sequitur passer segetes; et, dulcia matre
 Ubra praebenti, sumunt alimenta puelli.
 Quam bonus est nobis! quam multa et quanta per orbem
 Munera, sancte Parens, nobis das, Sol ubi frontem
 Undis auricomam tollit, cum altissimus axe
 30 In medio est, mergit cum languida lumina ponto,
 Necnon et terris Nocte inducente tenebras.
 Quae quidem ubi sublime tuum nostro exit ab ore
 Nomen, ubique ferax largitur munera tellus.

Dulce tibi nomen, dulce est magis omnibus unum
 35 In terra quod ego cano, dum angeli in aethere summo
 Pulsantes celebrant late resonantia fila,
 Quorum laeta choris miscetur vox mea mollis.
 Et quoniam hanc audis, supera quanquam arce, benignus,

- Parcam aliis, aeterne Deus, te, supplice voce
40 Quod sibi quisque petit, nec unquam poscere parcam.
Ergo avibus plumas, rorem herbis, fontibus undas,
Umbra da campis, agnis da vellera lanae:
Da, praecor, infirmis, languent quibus membra, salutem,
Mendicisque cibum, puerisque parentibus orbis,
45 Auxilium atque domum. Miseri qui carcere clausi
Orant te veniam, redeant ad lumina vitae,
Et, te dante, Pater, sua dulcia tecta revisant!
Fac etiam ut quicumque colit tua jussa, per annos
Sit felix longos, et clara pace fruatur
50 Et dulces nati morienti lumina claudant
Denique, quo laeto mea vivat pectore mater
Doctrinaque mihi firma pietateque mentem.